sit exercitatus. Reinfurtum invasit pestilentia et plurimos absumpsit; grassatur eadem per Ma naperiensem provinciam, stragemque ingentem novi militis fecit. Illud etiam incerto rumore sparsum fuit, Comitem Reinfurtensem gravi morbo implicitum esse; sed ut heri ab Sedlabergensi Comite audivi, meliuscule coepit habere. Plura non scribo, quia Cl. Fabricius ad vos venit, quem una tecum rectissime valere jubeo. H. 3. a. MDCLXVI

383. Georgio Lohnio, Pastori
verbi Divini apud Brabantos
Avunculo suo.

Etsi vehementer sim impatiens quod post ternas meas literas nullam abs te epistola perferat; tamen mihi non tam molestum fuit, operam omnem eludi quam pietatem meam abs te non cognosci. Perscripsi ultimis literis obitum sororis tuae Elisabethae, quam nuper pestilentia lues abstulit. Non possum exprimere, quam me optimae et orbatissimae foeminae obitus afflixerit; me enim et magna benevolentia complectebatur, et tanquam filium unice diligebat. Postquam fatis functa est concidit simul et exspiravit omnis familiaritas, quam ejus marito perseverare debebat. Fecit ille uxori exequias, et aliquot Heidelbergensibus civibus domesticum fatum commendavit; ad me nullas dedit literas, nec in hunc usque diem, licet ullis illum officiis prosequar, mihi gratiam reddit. Credo, hominem vereri, ne ad haereditatem materterae adspirem; transit quippe ad secundas nuptias, quas cum rustica puella jam celebrabit. Caeterum paucos ante dies intelleximus Hottingeri insperabile fatum, et magno moerore concussi sumus, quod fortasse etiam animum percellet, quum magna tibi cum isto viro familiaritas fuerit. Periit in fluvio, qui Tigurinam urbem

urbem perlabit, quum ad villam suam cymba
veheret; quam turbulentior amnis in palum
impactam evertit, atque circumegit. Paucis ante
obitum diebus conspexit Ovidianum illum versum,
quem studiosus aliquis parieti Gymnasii Tiguri-
ni inscripserat

Carmina jam moriens canit exequialia
Cygnus.

turbatusque tristi praesagio multa de fato suo disseruit,
et ominosum illud carmen vocavit. Fuit autem
ejus mors tanto miserabilior, quanto propior summo
fastigio gloriae suae incumbebat et ad Academiae
Leidensis ornamentum se maximis votis per-
poscebatur. Tametsi alii sentiant, magis applau-
dendum esse Viro, quod gloriam quam am-
plissimam jam erat consecutus, illibatam in sepul-
chrum intulerit. Illam fortasse minuisset, si ad
Batavos migrasset, si ex Alpinis claustris,
ex quibus tanquam Apollo Delphicus cecinerat,
in ora Belgarum deductus fuisset. Nam homi-
nis Nasus paululum subtilior et libidine arietandi
homines creditur maxime gaudet. Et quanti erat,
illum ad quinquennii tantum spatium, ut ajunt,
mitti in Belgium, ut ibi rem collapsam, veluti
Dictator aliquis restitueret! Sed de hisce taceo.
De vestris rebus praecipue timendum putavimus et in
magno fuimus dolore, ex quo gravissimum et acer-
bissimum cum Anglis gessistis bellum. Nunc nos
recens fama erexit, quae foedus inter utramque gentem
sancitum esse retulit. Illud, ut viri existimant, ve-
hementer Gallorum consilia confundet et fortean destruet,
qui jam incidendis successibus per Belgium Hispani-
cum arma circumfert. Certe non alio modo liber-
tatem vestram contra formidabilem socium defendere
poteratis; quam ut porro conservetis et tueamini Deum precor
atque oro. De mea vero in te pietate, sic velim tibi persuasum
habeas me gratissimo adhuc animo reputare tua beneficia,
quae in me amplissima voluisti existere. Et quo-

niam

neam insuper arcto sanguinis vinculo me jungo, annitar omni officio, ut te tuamque familiam, quae mihi semper charissima est, beneficiis ornare possim. Vale. 13.° M·DC·LXVII.

384 Serenissimo Principi Electorali Carolo.

Paene tua licuit carmina tua ad censuram vocare. Primum videtur cum Vulcano cecidisse e coelo; nam paullulum in fine claudicat. Secundum Poëtici spiritus plenum est, et jucunde assurgit. Tertium quidem secundum leges Poëticas bonum; sed rationis examen vix sustinet. Quartum, Quintum et Septimum videntur a magno profluxisse Poëta, qui spiritum per fabularum ambages, deorumque ministeria excitare solet. Vale.

385. Georgio Hornio Prof. Historiarum in Academia Lugduno Batava.

De Historia tua Palatina, sicut exegeras, scripsi tibi ante duos menses; sed quia nullas abs te recepi literas, vereor ut Epistola ad tuas manus pervenerit. Historiam tuam Ecclesiasticam Serenissimo Principi tradidi, qui pro ea ingentes tibi gratias refert. Inprimis delectatus est, quod nomini ejus libro clarissimo inscribere volueris; quod grato animo agnoscet, ubi res locusque dabunt. Rogo, ut aliquando Politicam tuam si modo prodiit, nobis quoque dones; nam et in ea te admirari possumus. Vale et me, quod facis, ama. M·DC·LXVII.

387. Joh. Henrico Heideggero S. Theol. Doctori Pr. apud Tigurinos.

Nisi ea esset conditio mea, ut immortalibus tuis beneficiis fortunam meam et salutem deberem